



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De vtilibus narrationibus. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

multo sit melius, si omnino sisleas. Quid ad te? Iesum sequere, & si ne mortuos sepelire mortuos suos. Huiuscemodi distractionibus & curiositatibus seruus Dei intendere nullo modo debet; sed edificatiōi & custodia cordis sui, orando, legendo, meditando, & alia opera sancta in nomine Dei faciendo. In actibus Apostolorum habes, quod Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui: sed talis usus nimis damnabilis sit apud claustrales, Deum præ oculis habentes.

Rumoribus non indulgendum.

§. 16. De utilibus narrationibus.

Sunt tamen quædam, si referantur ex charitate, quæ adificant etiam audientes. Sicut denunciatio alicuius defuncti, peritio suffragij pro tribulato, conuersio peccatorum, status deuotorum, & alia his similia; quibus est condolendum seu etiam congaudendum, prout causæ requirunt. Considerare similiter diuina iudicia super statum mundi, prodest bonis & electis Dei ad contemptum eius; sicut sunt pestilentia, famēs, incendia, præliaque terrarum, & ceteræ tribulationes graues: quibus gloria mundi prosternitur, & delectatio carnis amaricatur. Hæc mala sæpe boni & spirituales ad profectum suum trahunt, & per exempla talia, se & ceteros ad compunctionem cordis, ad luctum peccatorum, ad emendationem vitæ, & ad præparationem mortis secum excitant; quæ etiam in sacris codicibus & Ecclesiasticis historijs, manifeste leguntur. Sed hunc salutarem profectum plures inuotati & verbosi aut nesciunt aut non intendunt, sed quasi in fabulam deductionis peruertunt. Vnde potes elicere, quod sicut boni & virtuosi ad bonum omnia, quæ audiunt vel vident, conantur inducere, ita instabiles & vagi, tepidi & dissoluti, hæc eadem ad suam malitiam exercendam insecunt. Ideo perspicito, quid sit quod audisti; & quis fructus esse valeat ultra dicendi.

§. 17. Qui sint vitandi.

Propterea noli libenter approximare secularibus, neque personis magnis; nec eo etiam conuenias, ubi nosti esse multitudinem presbyterorum; quia statui tuo non congruit, nec officio.

§. 18. Cum quibus est conuersandum.

Cum simplicibus & deuotis, & bene sentientibus de Deo, & consentientibus tibi propter Deum in bono, sit fermocinatio tua & crebrior sociatio. Et quicumque non concordant cum spiritu tuo, illis cede propter pacem tuam & ipsorum, quia defensor & iudex noster Iesus Christus clarè nos interior agnoscit, ante quem humana iudicia sepius errant. Si desideras aliquem adificare,